



Praxis Avrea Qvotidianarvm Rervm Ecclesiastici Fori

In qua Variæ Iuridicæ Resolutiones ex approbatis traditionibus Doctorum,
atque diuersorum Tribunalium, præsertim Rotæ Romanæ, Decisionibus,
excerptæ, continentur; Opvs Qvatvor Partibvs Distinctvm

Continens Tertiam, & Quartam Partem: Quibus, hac nostra editione ab
innumeris mendis repurgata ...

Riccio, Giovanni Luigi

Venetiis, M.DC.LXXIV.

Praxis Sacrilegii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98599](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98599)

fler, Puteus decif. 168. lib. 3. Rota diuers. decif. 425. lib. 3. multoties enim contingit, quod eodem die fit supplicatio, & data literarum, & prælatio consensus, vt in casu Ferretti conf. 335. num. 4.

RESOLVT. CCCCX.

- 1 Per conclusionem in causa, censetur renunciatum probationibus, & iuribus non deductis, & nihil dici, proponi, vel opponi potest.
- 2 Conclusio in causa, & sententia equiparantur, seu a pari procedunt.
- 3 Conclusio in causa, non amplius iudicium dicitur.
- 4 Exempla de constitutione locali, et personali recensentur.
- 5 Si auditor Rotæ post conclusionem in causa inhiheret, inhibito teneret, & attentata post inhibitionem reuocanda essent.

Inhibitio an fieri possit post conclusum in causa.

Controuertitur an inhibitio fieri possit. Pro negativa adduco Rot. 66. nota quando in aliquo de appell. alias 674. in antiq. quæ loquitur tam in causa spirituali, quam profana, ad idem est dec. 710. & 747. & adduci potest ratio quæ est, quod per conclusionem in causa quis videatur renunciare probationibus, & iuribus non deductis, & quando conclusum est in causa nihil dici, proponi, vel opponi potest. nec causa, vbi Bald. & alij C. de appell. l. 2. C. de relationib. Bal. in l. error. C. de iur. & fact. ignor. idem Bal. in l. indices, & in auth. iubemus, ac Angel. & Salyc. C. de iudic. cap. iudicis, & ibi DD. de procurat. cap. auditis de integ. restit. cap. pastoralis, vbi Innoc. & alij de cau. pos. & propr. cap. dilectus, vbi etiam Innoc. numer. 2. & alij de fide instr. imò conclusio in causa, & sententia equiparantur, seu a pari procedunt, Innoc. in alleg. cap. pastoralis, & in cap. auditis de procurat. Cyn. in l. alia C. de his, qui vt indign. l. in l. licet nu. 3. C. de procurat. & in repet. l. admonendi num. 50. & 55. ac in l. lect. n. 49. ff. de iur. iur. & conclusio in causa non amplius iudicium dicitur, Abb. in c. 1. num. 13. de mut. petit. concludendum est, quod de stylo Rotæ procedat opinio negativa, præmissa: si autem essemus extra tribunal. Rotæ aliud dicendum esset, etiam supposito stylo inuariabili, & fixo, imò etiam si supponeremus Constitutionem personalem, vel localem, personalem dico intuitu Rotæ Auditorum, quæ tamen personas non egredere, nec in consequentiam trahi posset, iuxta tex. in l. 1. ff. de constit. & §. sed quod principi vers. sed plane instit. de iur. nat. gent. vel ciuili, exemplum in constitutione personali habemus in c. cum longè 63. dist. vbi Archiepiscopo Toletano tantum datur potestas confirmandi, & ordinandi in quibuslibet prouincijs Episcopos à Rege electos, localem verò nuncupo, quæ certum locum concernens illam non egreditur, cuius exemplum poni potest in tex. supra adducto, vbi ratione loci conceditur dicta confirmatio propter distantiam loci, est enim tex. in c. nihil est de elect. vbi quod ratione distantie loci, Prælati extra Italiam, constituti, etiam ante confirmationem permittitur administrare, de locali etiam constitutione prohibitiua habemus tex. in l. penult. iunct. glossa in versic. orientis C. de fun. patrim. & Saltuen. lib. 1. imò licet id fieri non consueuerit, si Rotæ Auditor post conclusionem in causa inhiheret inhibitionem illa efficere putarem, & attentata post inhibitionem reuocanda essent, & ipsa sententia subsecuta, via attentatorum reuocanda veniret quod etiam probatur decif. 29. de dol. & contu. alias 711. in antiq.

(663)

PRAXIS SACRILEGII.

RESOLVT. CCCCXI.

- 1 Surripienti aliquid ex Oratorijs, propriè non dicitur sacrilegus.
- 2 Pena infligenda subripienti ex oratorio, qui locus publicè sacer non est, minor, & ordinaria est.
- 3 Tentans violare sacras priuatas ædículas plusquam fur, & minus quam sacrilegus est puniendus.
- 4 Loca ritè sacra dicuntur, quæ à Pontifice, vel Episcopo, Deo dicata sunt, & non auctoritate alicuius laici, vel priuati Sacerdotis.
- 5 Surripienti ab Ecclesia, qui locus publicè sacer est, si etiam à monasterio, vel hospitali propriè sacrilegus dicitur numero 5.

An Oratoria dicantur loca sacra, ad effectum vt surripienti aliquid intus eis, dicatur committere sacrilegium?

Vera, & indubitabilis est Iuris conclusio, vt sacrilegium committatur duo requiri, scilicet, quod auferatur res sacra de loco sacro c. sacrileg. 17. q. 4. quare fuit dubitatum, an Confraternitates, & Oratoria dicantur loca sacra ad effectum præfatum, cui quæsito respondi, non dici verè, & propriè loca publicè sacra, seu consecrata, sed priuatim ideo ex oratorijs aliquid surreptum non facit sacrilegium propriè; quod, vt committatur, requiritur, quod locus, ex quo res sacra surripitur, sit sacer publicus, & non, sufficit priuatus. Bart. in l. sacrileg. capite post num. 2. ff. ad l. lul. peculatus, Girland. de pen. omnifar. cont. quæst. 5. num. 7. prætic. Conrad. rubric. de sacrilegio, post num. 8. Menoch. de arbitra. quæst. lib. 2. casu 389. num. 9. & sequen. vbi propterea dicit hoc etiam casu penam esse arbitariam maiorem furto, sed minorem vera pœna sacrilegij, prout optimè probat tex. in l. sacrilegij ff. ad l. lul. peculat. & idem dixit Ludouic. Peguer. decisio crimin. 24. num. 18. Petr. Greg. Sintagm. iuris lib. 33. cap. 54. rubr. de sacrileg. num. 3. versic. sic, & sacra priuata, vbi generaliter de ædículas, quas priuatim quis Deo offert, & num. 7. vbi declarat differentiam inter loca sacra publica, & loca sacra priuata, & num. 8. vbi, quod quia priuata sacra, vel ædículas violare tentauerint, amplius quam fures, & minus quam sacrilegi puniuntur per tex. in cap. qui cap. 17. quæst. 14. & idem dixit in cap. 15. rubr. de penis versic. sacrilegij num. 2. Decian. in tra&. crimin. lib. 6. c. 14. rubric. de sacrileg. num. 12. versic. idem dicitur, & cap. 24. num. 21. & cap. 30. num. 7. Thom. Sanchez disputat. de sacro matrimonij sacrament. lib. 9. disput. 15. q. 3. numero 39. vbi latè, an, & quando oratoria dicantur loca sacra.

4 Locus enim sacer intelligitur, qui ritè per Pontificem Deo consecratus fuit non priuatim alicuius sacerdotis auctoritate, vel laici secundum Hostien. in summa rubric. de crimine sacrilegij. n. 1. ad med. versic. sacrum autem locum. Bonifac. de Vital. in rubrica de pœna committent. sacrileg. num. 1. versic. item, dicitur locus sacer, Foller. in prætic. criminal. in verbo capiat informationem sub nu. 11. Petr. Greg. Sintagm. iuris lib. 33. cap. 14. rubric. de sacrileg. sub num. 4. vbi, quod loca publicè sacra sunt ea, quæ consecrata sunt à Principe, vel ab habente ab eo potestatem, hodie autem à Papa, vel ab Episcopis, & num. 22. vbi declarat, quæ sint loca sacra, quæ sancta, & quæ religiosa, & num. 23. concludit loca sacra, ea dici, quæ ritè fuerint consecrata ab habente potestatem.

5 Et propterea Ecclesia dicitur locus sacer, quia publicè consecratur. Bart. in l. sacrilegij capite numero secundo.

quando ff. ad l. Iuliam pecul. Bonif. de Vital. in rubric. de pœn. committ. sacrileg. numero primo. Ghirland. de pœn. omnif. coit. q. 5. numero septimo, pract. Conrad. rubric. de sacrileg. num. 7. Decian. in tractat. crimin. lib. 6. cap. 14. rubric. de sacrileg. nu. 5. verum, quid Ecclesiæ nomine comprehendatur, ut locus sacer dici possit, vide latissime differentem Thom. Sanchez disput. 15. q. 3. num. 23. & omnibus sequen.

- 6 Sic, & monasterium dicitur pariter locus sacer ad effectum, ut in eo furripens, sacrilegium committat, Bonifac. de Vital. rubr. de pœna committen. sacril. num. 1. quemadmodum, & hospitale Decian. tract. crim. lib. 6. c. 24.

RESOLVT. CCCCXII.

- 1 Surripies è cæmeterijs propriè dicitur sacrilegus, & propria sacrilegij pœna est puniendus.
- 2 Confugiens ad cæmeterium ab eo non extrahendus, cum gaudeat eadem immunitate, qua Ecclesia cum qua pari passu ambulat.
- 3 Cæmeterium diu habitum pro cæmeterio, pro benedictio habetur etiam si dubitetur de eius benedictione.
- 4 Cæmeterium non dicitur si solum in eo sepultus homo sit, sed etiam ab Episcopo sacratum.

An furripientes aliquid è Cæmeterijs dicantur committere Sacrilegium.

- I**D, quod supradiximus de oratorijs, ut non dicantur loca publicè consecrata, ad effectum, ut furripientes in eis sacrum, dicantur sacrilegium committere; minime dicimus locum habere in furripientibus sacrum de cæmeterijs, quoniam tales censendi sunt verè, & propriè sacrilegi, & consequenter contra eos vendicare pœna sacrilegij iuxta notata in l. diui ff. ad l. Flavianam; & ratio est, quia cæmeterium, & Ecclesia à pari iudicantur cap. vnico, & quod ibi communiter notatur de consecrat. Eccles. libro sexto, vnde cæmeterium sicut Ecclesia gaudet immunitate, ut confugiens in eum, minime extrahatur, ut est communis opinio secundum Panorm. in c. Ecclesia de immunit. Ecclesiar. Cæmeteria enim gaudere priuilegijs Ecclesiæ, vnde sicut in Ecclesia, committitur sacrilegium, ita etiam committitur in cæmeterio, voluit Abb. in cap. cum Eccles. 2. de immunit. Ecclesiarum Card. Zab. in Clement. eos n. 10. in fi. de sepulturis vbi amplius, quod cæmeterium, quod diu fuit reputatum pro cæmeterio, habetur pro benedictio, & si præsumatur etiam, quod non fuerit benedictum. Diaz. in pract. crimin. canon. cap. 87. sub num. 3. vbi propterea dixit, quod violans cæmeterium, committit sacrilegium. Bertachi. in reperi. torio, in verbo cæmeterium n. 2. vbi pariter dixit, quod cæmeterium diu pro cæmeterio reputatum præsumitur benedictum, & n. 3. vbi etiam, quod cæmeterium est priuilegiatum sicut Ecclesia, & num. 5. vbi quod cæmeterium non dicitur ex eo, quod ibi sit homo sepultus, nisi etiam sit ab Episcopo sacratum Petr. Greg. sintagm. iuris lib. 2. cap. 13. rub. de cæmeterio num. 2. & 3. vbi quod cæmeterium est locus Ecclesiasticæ sepulture destinatus, & quod cæmeterium per Episcopum ab alijs locis prophanis diuiditur, & consecratur, propè Ecclesiam, per tex. quem allegat. in cap. 1. 13. quæstio. 1. & ibi vide cæmeterij materiam planè tractatam per totum illud caput. 13. in discursu Decian. in tract. crimin. lib. 6. cap. 14. rubr. de sacrileg. numer. 5. & cap. 24. num. 28. & benè declarat quando cæmeteria dicantur loca sacra, & etiam quod de cæmeterijs, in quibus in primitiua Ecclesia Martyrum corpora, sepelliebantur vide ad hanc materiam Cardin. Tusc. pract. conclus. in verbo cæmeterium, conclusiones 228.

& omnino Thom. Sanchez. disput. de sancto matrimonio sacrament. lib. 9. dif. 15. q. 3. num. 40. vbi benè declarat, an cæmeterium dicatur locus sacer.

RESOLVT. CCCCXIII.

- 1 Rationes propter quas Sacerdotis domus sacra non dicitur.
- 2 Sub dispositione loquente de loco sacro, veniunt etiam muri, & portæ.
- 3 Intrantes per vim ædículas Sacerdotum, & inde aliquid furripientes non vt sacrilegi, sed minus, & plusquam fures sunt puniendi.
- 4 Ædícula nomine quæ domus veniat.

Domus Sacerdotis, an dicatur locus sacer, ad effectum, ut furripientes aliquid ex ea, dicantur sacrilegi.

- F**Vir pariter dubitatum, si domus Sacerdotis dicatur locus sacer, ad effectum, ut furripientes aliquid in ea, dicantur committere sacrilegium? In quo articulo. Respond. negatiuè, ex eo quod in casu isto deficiunt omnia ea, quæ sunt necessaria ad committendum sacrilegium, nam deficit, quod locus sit publicè consecratus, quod requiritur de substantia, nam locus sacer intelligitur qui ritè Deo per Pontificem consecratus fuit non priuatiuè auctoritate alicuius sacerdotis, vel laici secundum Hostiens. in summa rubr. de crimin. sacrileg. n. 1. ad med. vers. sacrum autem locum Bonifac. de Vital. in rubrica de pœna committen. sacrileg. n. 1. ad medium vers. Item, dicitur locus sacer. Foller. in pract. crimin. in verbo, capiat informationem, sub numero 11. Petr. Greg. Sintagm. iuris lib. 33. cap. 14. rubr. de sacrileg. sub n. 4.

- 2 vbi quod portæ, & muri alicuius loci sacri veniunt sub dispositione loquente de illo sacro loco, Decian. in tractat. crimin. lib. 6. c. 24. num. 27.
- Benè tamen verum est quod intrantes in ædículas sacerdotum per vim, & inde aliquid arripientes, puniuntur minus, quam sacrilegi, sed plusquam fures. text. est in l. sacrilegij capite vers. at, qui priuata sacra ff. ad l. Iul. pecul. & ibi glos. infiguratione casus, & in verbo compilauerint, vbi declarat, quomodo intelligantur ædículas in tex. positæ, & dicit esse domunculas sacerdotum non sacras sacerdotibus relictas, vel esse domunculas propè Ecclesiam, quas Canonicas vocamus, Hostiens. in summa rub. de crimine sacrileg. num. 1. post medium.

RESOLVT. CCCCXIV.

- 1 Ad hoc vt publica res sacra dicatur, non sufficit, quod tanquam sacra Ecclesiæ dicatur, sed quod ad diuinum cultum à Pontifice, vel Episcopo consecrata sit.
- 2 Sacra quoque res dicuntur, quæ ad sacrorum vsum destinata sunt, prout ad diuina officia, missam, & his similia.
- 3 Sacrilegium non committitur in rebus sanctis, & reliquis, sed in sacris.

Quæ dicantur res sacra, ad effectum, ut illas furripientes, dicantur committere sacrilegium.

- R**espondeo, quod sacra res dicitur ea, quæ est consecrata ab eo, qui consecrandi potestatem habet, seruata solemnitate iuris Canonici, de qua in titu. de consecrat. per tot. & voluit Alberic. in l. Diui Seuerus numero primo ff. ad l. Iul. pecul. glos. in l. sacrilegij capite in verbo, compilauerint, & ff. eodem, vbi quod publica res sacra dicitur illa, quæ est consecrata per Pontificem, & ibi etiam Alberic. & sic res sacra non dicitur, nisi fuerit consecrata à

ta à Pontifice, vel ab Episcopo in tantum, quod non sufficit, quod quis tamquam rem sacram Ecclesiæ dedicet secundum Bellapet. in l. si nondum in fine C. de furt. & ibi etiam Cyn. num. 3. Bart. post numerum 2. Paul. de Cast. num. 2. ad med. versic. aut est consecrata per Pontif. Ludovic. Peguer. decis. crimin. 24. num. 3. vbi quod sacra res dicitur omnis ea, quæ ad Diuinum cultum ordinata est, & num. 12. in fin. vbi quod sacra res sunt illæ, quæ per Pontifices, seu Episcopos Deo ritè consecrantur, & num. 13. vbi quod res sacra sunt aliæ res, quæ & si per Pontifices, seu Episcopos sacra vñctione consecratæ non sunt, sunt tamen ad sacrorum vsum potissimè dedicatæ, vt feruiant sacerdotibus, missam, aut diuina officia dicentibus, vel ad apparatus, seu ornamentum templi, vel altaris. Ad quæ vide omnino Petr. Greg. sintagm. iuris lib. 33. cap. 14. rubr. de sacrileg. numer. 1. vbi quod proprie sacrum dicitur Deo consecratum à Pontifice olim, hodie autem ab Antistite cuiuscunque loci diuino nomini dedicatum, l. sacra, & in l. in tantum §. sacra institu. eod. cum alijs ibi per eum allegatis, & nu. 4. & sequen. declarat quid sit sacrum, quid sanctum, & quid religiosum: & in quo vnum ab altero differat, & nu. 6. concludit sacrum id dici posse, quod aliquo modo ad cultum, authoritatem, & prouidentiam Dei pertinet Decian. in tract. crimin. l. 6. cap. 54. rub. de sacrileg. n. 8. vbi quod sacrilegium non committitur in rebus sanctis, & religiosis, sed tantum in sacris; & ibi declarat, quæ dicantur res sanctæ, & n. 12. vbi generaliter etiam declarat quid sit sacrum, & n. 13. & 14. declarat quid sit religiosum, & c. 24. n. 22. vbi etiam declarat, quæ sit res sacra, quæ sancta, & quæ religiosa.

RESOLVT. CCCCXV.

- 1 Omnia, quæ ad sacrum vsum destinata sunt, sacra dicuntur, exceptis, quæ ad ornatum diuini cultus n. 2.
- 2 Res non sacra dicuntur, quæ neque consecrantur, neque benedicuntur, prout vota priuata num. 3.
- 3 Calices, turribili, & his similia subripientes sacrilegium committunt quia sacrata sunt, num. 4.

Surripientes Calices, & Turribula an committant sacrilegium,

IOdoch. in pract. criminal. cap. 111. rubr. de sacrileg. n. 4. generaliter dixit, quod sacra dicuntur omnia ea, quæ ad sacrorum vsum destinata, & dedicata sunt, & ponit exemplum in ciborijs, phialis, feretris, mappis, lintheaminibus Altarium, mantilibus, & cortinis, cera, candelabris, & arcula elemosynarum Ant. Gom. de delict. cap. 5. rubrica de furt. num. 11. versic. dubium tamen, vbi inter res sacras numerat aram, quam nos vulgò dicimus petram sanctam, excludit autem alia, quæ pertinent ad ornatum, & cultum diuinum, vt vasa quibus ponitur vinum, & aqua, pallium, & lignum, quo cooperiuntur altaria, quæ propterea res sacras dici non posse affirmat. Ludovic. Peguer. decis. crimin. 24. sub num. 12. vbi de ara Altaris, & nu. 13. vbi de ciborijs, phialis, capsulis, feretris, mappis, lintheaminibus Altarium, cortina, cera, arcula elemosynarum, & alia, de quibus ibi per eum Petr. Greg. Sintagm. iuris lib. 33. cap. 14. n. 2. vbi quod vota priuatorum non sunt sacra Decian. in tract. crim. lib. 6. cap. 30. n. 19. vbi quod res non sacrae sunt illæ, quæ non consecrantur, neque benedicuntur vt lampades, vasa non sacrata, vt phialæ, capsulæ feretra, mappa lintheamina, mantilia, cortina, oleum, cera, candelabra, arcula elemosynarum, & d. cap. 30. num. 33. & sequenti vbi quod vota non dicuntur sacra, & propterea sacrilegium non committi, si argentea vota furantur,

4 Vnde calices Turribula dicuntur res sacra secundum glof. in §. item lex Julia peculatus in verbo rem sacram institutione. de public. iudic. Paulus de Casto in l. si nondum, n. 2. ad med. C. de furt. vbi de Calice Bonifac. de Vitalin. in rubrica de pen. committ. sacrilegium numer. 1. versic. vt calices, & turribula Iodoch. in pract. crimin. c. 111. rubric. de sacril. post n. 4. vbi de calice, de quo etiam Bos. in titu. de furt. n. 11. ad med. versic. dubium tamen necessarium est: Ludovic. Peguer. decis. criminal. 24. num. 12. Baiard. ad Clar. in §. sacrileg. n. 6. Decian. in tract. crimin. lib. 6. cap. 14. rubric. de sacrileg. n. 6. & cap. 30. num. 15. vide tamen Decianum in tract. crim. lib. 6. cap. 30. sub nu. 19. vbi dixit Turribula non esse res sacras.

RESOLVT. CCCCXVI.

- 1 Tabernaculum, seu custodia, & Sanctissima Eucharistia sacra dici non dubitatur.
- 2 Sceleratissimus fur calicem furatus in quo Sanctissimum Sacramentum aderat, in loco Ecclesiæ suspensus, scissus etiam fuit propter contrectationem factam Sacramenti Ecclesiæ.
- 3 Impij sacrilegi contrectatores Sacra Eucharistiæ vini comburendi sunt.
- 4 Tales sacrilegi sunt ad mortem condemnandi.

Surripientes tabernaculum vbi reperitur Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum qua puniuntur poena.

Custodia, in qua reponitur Sanctissimum Sacramentum, quod sit res sacra non habet dubium, vt in specie aduertit Anton. Gomez. de delict. cap. 5. rubrica de furt. num. 11. ad med. versic. dubium tamen necessarium est Baiard. de Clar. in §. sacrilegium num. 6.

Eucharistia sanctissima, quod dicatur res sacra nullam habet difficultatem ex allegat. per Bonifac. de Vitalin. in rubrica de pen. committ. sacrilegium nu. 1. Albor. in dictionario in verbis sacrilegium, l. 8. ante fin. vbi propterea dixit, quod hoc sacrilegium est grauissimum Boer. decis. 254. numero 15. in fin. vbi ponit exemplum de quodam sacrilego, qui vas, seu custodiam, in qua corpus Christi sanctissimum reponebatur, furatus fuerat, & illud subitus eius pedes poluerat ibid. existente d. Christi sanctissimi corpore, fuitque propterea ad mortem damnatus per illam curiam. Folier. in pract. crimin. in verb. capiat informationem sub numero vndecimo, & in pract. criminal. canon. capitulo 17. numero 53. per totum in disceptis, vbi ponit aliud exemplum cuiusdam sceleratissimi furis, qui furatus fuit calicem, in quo aderat sanctissimum Sacramentum Eucharistiæ, & Sacramentum manducauit, & testatur eum fuisse in loco Ecclesiæ suspensum, & postea in frusta scissum Pract. Milles fol. 74. num. 17. ibi ait se fecisse suspendere quemdam, qui ab Ecclesiâ vas sacra Eucharistiæ surripuerat Girland. de poenis omnifar. coit. q. 1. sub num. 9. Clar. in pract. §. sacrilegium num. 4. ante fin. vbi refert Folier. in loco præallegato Ludovic. Peguer. decision. crimin. 24. n. decimo, post numerum decimumseptimum, ante fin. & d. numero decimoseptimo, in fi. Petrus Greg. Sintagm. iuris lib. 37. cap. 15. rubric. de poen. veri sacrilegij num. 2. in fin. versic. ego semper in ea fui opinione quod sacrilegi, qui impia, & detestanda manu sacram Eucharistiæ contrectauerint, seu arculam, in qua reponeretur tollerent igne vini comburendi sint ob sacrilegium, & impietatem Dec. in tractatu crimin. libro sexto vbi quod sacrilegium commissum in Eucharistiâ grauius est quam occidere Papam,

Et

Et quod pro sacrilegio infligatur poena mortis probatur in d. l. sacrilegij poenam, unde Boer. in decis. 254. numero 15. refert quosdam fuisse ad mortem condemnatos, qui vas, seu custodiam, in qua corpus Christi sanctissimum reponeretur custodiendum acceperant, Iesu Christo in ea existente. Confirmat. idem Bos. in tit. de sacrileg. numero 4. commemorat de quodam fure, qui calicibus, & alijs ornamentis quasdam Ecclesias spoliaverat, & dicit fuisse super furcis altissimis laqueo cum tota caterua furum suspensum. Probatur idem ex eo, quod refert Foller. in pract. crim. fol. 389. num. 47. & post eum Iul. Clar. in §. sacrilegium verficul. sed quero quod Neapoli fuit suspensus quidam Salernitanus, qui furto subtraxerat quandam crucem ex Ecclesia S. Florentij. Tandem confirmat hanc opinionem Greg. in Syntag. iur. viuer. lib. 33. cap. 15. num. 3. dicens, se semper fuisse in opinione, sacrilegos qui impia, & detestanda manu sacram Eucharistiam contrectauerunt vel sacrarium, seu arculam qua contineretur tollerent igne viuos comburendos; ob sacrilegium, & impietatem.

RESOLVT. CCCCXVII.

- 1 Crux pro vt representatiua est vera crucis, sacra, & sancta dicitur, & eius fur mortis est condemnandus: sic etiam Patena sacra dicitur num. 2.
- 3 Subripientes corpora Sanctorum sacrilegium committunt, quia reliquiae Sanctorum Sacrae sunt.
- 4 Subripientes reliquias a Saracenis sacrilegius non est.
- 5 Contractus emptionis, & venditionis Reliquiarum est nullus, & contrahentes puniendi.
- 6 Refertur de condemnato ad trirames, qui reliquias S. Sebastiani abstulit, quia propter delicti iterationem, intrabat poena mortis.
- 7 Libri, vestes etiam diaconi, & aliorum in quibus officia celebrantur sacri dicuntur, num. 8.
- 9 Item sacra dicuntur imagines Dei, B. Mariae, & aliorum Sanctorum, ita & omnia ornamenta ad Ecclesiae ornatum destinata, exceptis, quae veniunt ad ornatum, & cultum, vt vasa, in quibus ponitur vinum, & aqua, & huic similia.

De varijs rerum generibus, in quibus si percutiantur, vel auferantur committitur sacrilegium.

- N**onnullae .n. sunt res sacrae, in quibus si percutiantur, vel auferantur committitur sacrilegium, prout sunt primo crux, de quo vide Gomez. de delict. cap. 5. rubr. de furto n. 11. verficul. sed quid dicemus de Cruce, vbi querit an dicatur Crux res sacra ibique arguit pro, & contra postea videtur concludere cum D. Thoma, quem allegat 2. 2. quaest. 5. artic. 3. verfic. Respondet quod respectu representatiuae verae Crucis, in qua dominus noster Iesus Christus passus est dicatur sacra, & sancta, licet materia ex qua Crux est confecta non esset, nec sacra nec sancta Clar. in pract. §. sacrilegium. num. 4. ante med. vbi ex Foller. quem allegat refert Neapoli fuisse suspensum quandam Salernitanum, qui crucem ex Ecclesia furripuerat idem refert Peguer. decis. crim. 24. n. 17. in fine Baiard. ad Clar. §. sacrilegium post num. 6.
- 2 Secundum etiam Patena dicitur res sacra ad effectum vt si quis eam furripiat dicatur committere sacrilegium, secundum Aretin. in §. item lex Iulia peculatus num. 2. in tit. de publ. iudic. Paul. de Castro in l. si nondum num. 2. ad med. C. de furt. Iodoch. in pract. crim. cap. 111. rub. de sacrileg. post num. 4. Peguer. decis. cri. 24. post numero 12. Decian. in tract. crim. lib. 6. cap. 14. rubr. de sacrileg. num. 6. cap. 30. numero 19. Nec non & reliquiae sanctorum dicuntur

etiam sacra, & illas subripientes sacrilegium committunt secundum Bald. in l. nemo martyres ante num. primum C. de sacrosanct. Eccles. vbi dixit, quod eximientes corpora sanctorum, & extra Ecclesiam, portantes puniuntur poena sacrilegij Bonif. de Vital. in rubr. de poen. committ. sacrileg. numero 1. Alber. in dictionario in verbo sacrilegium l. 8. in fine verficul. quid dicendum dist. prima de consecrat. vbi declarat nisi reliquiae subrepta fuissent apud Saracenos. Foller. in pract. crim. in verbo capiat informationem sub n. 1. Peguer. decis. crim. 24. n. 11. Decian. in tract. crim. lib. 6. cap. 30. nu. 38. Bonifac. in tract. de furt. §. alienae rei sub numer. 26. Et puniuntur etiam qui reliquias emunt, & vendunt extra ordinem, & in iudicis arbitrio ultra contractus nullitatem text. est in l. nemo martyres C. de sacrosanct. Eccles. vbi dicitur. Nemo martyres distrahat nemo mercetur, & ibi hoc voluit gloss. in verbo distrahat, & ibi Bald. n. 1. vbi opponit, & oppositioni respondet sequendo gloss. ibi & Salycet. num. 1. vbi declarat procedere quando reliquiae auferuntur de sacro: alias vendens, & emens non punitur: quae quidem declaratio nimis restringit dispositionem generalem d. legis, & quando reliquiae auferuntur etiam sine emptione, & venditione intrat poena sacrilegij vt per Bald. vbi supra Albericus tamen in d. l. nemo martyres numer. 2. testatur de furto quotidie vendi reliquias sanctorum, quod ipse admittit vt ponantur in Ecclesijs. Et tempore Pauli V. quidam Io. Angelus qui supra nomine vocabatur Toccatondo fuit carceratus, conuictus, & confessus quod ex camerario S. Sebastiani de vrbe plures reliquias ex sanctorum corporibus abstulit, easque etiam pecunia recepta diuersis personis distraxit, quo casu sine dubio intrabat saltem propter delicti iterationem poena mortis, & vix per misericordiam obtineri potuit vt ad trirames transmitteretur.

- 7 Tercio libri etiam dicuntur res sacrae, & si contrarium teneat Decian. in tract. crim. lib. 6. cap. 30. sub num. 19. vbi dixit libros non esse res sacras, tamen pro nostra affirmatiua sententia tenuerunt Bonif. de Vital. rub. de poen. committ. sacrileg. num. primo verfic. vel libri. Foller. in pract. crim. in verbo capiat informationem sub num. 11. Iodoch. in pract. crim. c. 111. rub. de sacrileg. post num. 4. Peguer. decis. crim. 24. post num. 13.
- 8 Vestes etiam sacerdotum, Diaconorum, & aliorum in quibus diuina officia celebrantur dicuntur res sacrae Bonif. de Vital. in d. rubr. de poen. committ. sacrilegium num. primo verfic. & vestes sacrae Alber. in dictionario in verbo sacrilegium l. 8. in fine Gomez. de delict. cap. 5. rubr. de fur. 11. verfic. dubium tamen. Baiard. ad Clar. in §. sacrilegium, n. 6. Decian. in tract. crim. lib. 6. c. 14. rubr. de sacril. n. 6. & cap. 30. nu. 19. & eadem ratione paramenta Altaris dicuntur sacra, Bonif. de Vital. vbi supra verfic. sed paramenta.
- 9 Ceterum imagines Dei, Mariae Virginis, & sanctorum dicuntur etiam sacrae Alber. in dictionario in verbo sacrilegium l. 8. in fine verfic. & ipse imagines Peguer. d. decis. 24. n. 11. Et ornamenta quoque Ecclesiae, & denique omnia, quae ad Ecclesiae ornamentum sunt destinata dicuntur etiam sacra, quamuis contrarium teneat Gomez. de delict. cap. 5. rubr. de furt. n. 11. verfic. dubium tamen vbi dixit appellatione rerum sacrarum non venire quae pertinent ad ornatum, & cultum diuinum, vt vasa, quibus ponitur vinum, & aqua, & aliquod pallium, vel lignum, quo cooperiuntur altaria, tamen affirmatiua sententiam nos sequimur cum Alber. in dictionario in verbo sacrilegium l. 8. in fine Iodoch. in pract. crim. c. 111. rub. de sacrilegijs post n. 4. Peguer. d. decis. 24. post num. 13.